

mitiale, sive admoveatur pectori,
qua parte cor micat; sive indatur palæ
annuli, quem digitus lævæ minimo
proximus gestet; sive demum teneatur
in ejusdem sinistræ vola, in pugnum
contracta. Nec minorem vim habet
ad sanandum pleuritidem, capitis ver-
tigines, & sexcentos alios, si credimus
expertis, morbos.

Alterum animantis genus illic no-
tissimum & frequentissimum est fiber,
cujus pelle, cum Europæis mercibus
mutanda, commercii Canadensis ratio
fere tota constat. Color castaneæ colo-
rem imitatur; modus corporis idem, qui
exigui vervecis: curti pedes & ad na-
tandum compositi, nam in aquis per-
inde ac in terra degit; cauda glabra,
crassa & plana, quæ natanti pro guber-
naculo sit: dentes duo, majores ceteris,